



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059



PRÆFATIO.

CUM in Sueciam venissem ante hos quatuordecim annos admodum adolescens, quidquid ab aulae officiis erat otij mihi, in refertissima Reginae Bibliotheca consumebam. Contigit autem aliquando ut in Graecum inciderem codicem manu scriptum, quo Origenis in Matthæum Commentarij, & eiusdem De oratione libellus continebantur. Erant in iis locis tunc temporis viri graues & eruditi, magna mecum studiorum societate conjuncti: hi non modo exscribendi codicis, sed eius etiam aliquando in publicos usus edendi magnopere mihi auctores fuerunt. Accessit augustissimæ Reginae CHRISTINÆ auctoritas, quæ cum ad reliquas laudes eximiam aduersum literatos benignitatem, & doctrinam quoque singularem adjunxisset, iussit mihi, & qua est humanitate vehementer etiam adhortata est, ut quod ipsa mei fecisset juris, ego statim publici facerem, librumque Latinis expositum verbis typis propere mandarem. Ego contra tergiversari primo, laboris opponere difficultatem, & angustias temporis (jam enim æstas præcipitauerat, & reditionem animo destinabam) causas ex causis neçtere; quidvis postremo facere, hoc ut ne facerem. Rem in aliud tempus ut differrem Serenissima Regina, quæ quidquid vult, id valde vult, vix concessit; omnino ut abijcerem, ne vix quidem. Ita quod mihi intriveram, omne fuit exedendum: nam postquam me sacramento teneri sensi, nihil prius fuit, nec antiquius, quam ut liberarem oppigneratam fidem, neque captum si nequirem paululo, at quanti possem redimerem: hortantibus præsertim quamplurimis ad quos instituti nostri fama peruaferat, & quorum intererat Origenem Graeco ornato prodire, vel quos aliqua rerum nostrarum cura tangebatur. Verum qui onus, magnum quidem, at ferendum detrectaveram primo; immensum deinde, nec meis par humeris subire coactus sum. Nam cum rediissem in Galliam, dum ad hanc ornandam Spartam hinc & inde comparo subsidia, & ad veterum librorum fidem Apographum meum exigere satago, meliore fortuna usus sum quam volueram; in uno siquidem & eodem Regiæ Parisiensis Bibliothecæ libro Origeniani in Matthæum Commentarii fragmentum ingens, & nobiles simul in Ioannem Tomos, ad quos interpretationem suam excuderat olim Perionius, nanciscor. Equidem inventum hunc thesaurum, magnopere primum aspernatus sum, quod in me recepissem bona fide præstare paratus, reliquis autem manus constanter abstinere. At postquam futurum intellexi, ut magnum ad Ecclesiam, bonasque literas emolumentum, ad Origenis doctrinam lux non exigua, nec levis ad lucubrationem meam ornatus ex hac accessione pertineret, mihi que verteretur vitio si speratam laudem elabi, & fructus lectu faciles per socordiam intercipi pateret, inceptumque inertia corrumpere; non alteram hanc tantum suscepi curam, sed quidquid etiam primigeniorum Origenis operum undecunque possem colligere, ea

P R Æ F A T I O.

me vel Latine redditurum, vel cum publicatis jam interpretationibus editurum, tum Notis & Observationibus illustraturum professus sum.

Neque vero tantos unquam mihi sumsi spiritus, ut labori huic parem me futurum considerem. Ecquis enim vel sublimia magni viri cogitata mente complecti, vel in profunda Scripturæ mysteria penetrantem assequi, vel magna humanarum disciplinarum varietate circumfluentem animo comprehendere, vel stili ubertatem interpretando representare, vel rerum difficultatem explanando mollire se posse speret? Perlustrandi ad hæc Bibliothecarum anguli; pervolutandi putres & cariosi codices; luctandum cum amanuensibus; expugnanda, vel toleranda certe inofficiorum hominum rusticitas; immensi excipiendi labores; infiniti sumtus admittendi. Quæ quamvis opinione asperiora sint, me tamen (omnia enim contra me proferenda sunt argumenta) adversus tantas difficultates exigua à natura, ab usu rerum & studio, vel propter ætatem, quæ mediam tantum designat juventutem, mediocria prosequuntur auxilia. Quæ cum ultro agnoscam, longeque ante à me provisâ sint, numquam profecto tantum insanivi, ut majora sponte susciperem, quam mihi explicare promptum esse sentirem: sed casu primum, ut dixi, tum amicorum hortatu, ac magnæ postmodum Reginae jussu, nec satis caute demum obligata fide in id consilium delapsus sum. Quod cum mihi deinde promissorum memori abijcere integrum non esset, partim pudore victus, partim animi sive constantia, sive pertinacia adductus cœptum iter tenui. Quæ nostros autem impetus angustiarum rerum & impedimenta retardare poterant, ea vero alacritatem addidere, ut quæ mihi deerant adjumenta promovendo cum laude operi necessaria, ea si possem labore ac diligentia representarem. Et fecissem fortasse, si non labori intentum vel itinera crebra, vel domesticæ curæ, vel vitæ civilis officia interpellassent. Alia præterea ac diversa longe studia ex transverso sæpe fortuna nobis objecit; in quæ cum excurrere, omisso per longa intervalla instituto opere, ac divagari necesse haberem; in his tamen divertere, in uno Origene habitare, ad eumque tamquam ad domicilium ex itinere videbar reverti. Neque id profecto absque certo Dei consilio factum putem; nam cum animus sæpe resisteret in cursu, & ad amœniores literas respiceret, majore vi nescio qua retrahebatur, & in venerandis illis Origeneis res quis ac dumetis libentissime conquiescebat.

Dixi cur ad id laboris aggressus sim; ecquodnam vero illud sit, quod nobis hac lucubratione fuit propositum, enucleatius dicendum est. Origene immensam librorum congeriem patria lingua, Græca nimirum, quæ tum Alexandriae obtinebat, scriptam reliquit. Horum partem Romano idiomate interpretati sunt Latini Scriptores vetusti, Hieronymus, Rufinus, alique; partem intactam reliquerunt. Deinceps vero fere contigit, quod alias usuvenire solet, ut Latine interpretationes primigenia ipsa exemplaria è doctorum excussa manibus paulatim extruderent: vnde bona Origenianorum operum pars intercidit; quamvis hodieque Græca aliquot, cum interpretationibus Adamantij scripta supersint. Atque id ferendum erat, si interpretationibus ipsis temporis inclementia pepercisset; sed ex earum ingenti quam lucubrasse se proficitur Hieronymus copia, plurimisque itidem à Rufino elaboratis, vix minimam ad nos partem vetustas annorum transmisit. Nec minore severità grassata est in ea etiam Græca exemplaria, quæ nulla fuerant conversione donata, nobilissimasque eorum partes consumpsit; pauculis quibusdam hac strage exemptis, quæ nobis Bibliothecarum anguli reservarunt. Multo etiam magis his scriptionibus infecta fuit Origeniani nominis invidia, qua impulsus viri impotentes Adamantij lucubrationes quotquot nacti sunt, aboleverunt; adeo ut in Orientali etiamnum Ecclesia quicumque eas descripserit, anathema esse ferant.

Ac vetustas quidem illas, quas diximus, interpretationes collegerunt alij, & in unum volumen compegerunt. Prior in his Iacobus Merlinus, cujus inceptum novis

P R Æ F A T I O.

curis locupletavit Desiderius Erasmus; tandemque multiplici tum veterum, tum recentiorum interpretationum accessione Gilbertus Genebrardus amplificavit. Quod in Latinis conversionibus actum ab illis est, idem nos in Græcis ipsis exemplaribus agere instituimus; ea nimirum diuturnis tenebris, & tot jam annorum captivitate squalentia in lucem absterfo situ retrahere, adjunctis vetustis interpretationibus, si quæ suppeditent; sin minus, novis adtextis, vel alienis, vel nostris ubi defunt alienæ: in quibus seligendis, vt fidelior quæque, & à Græcis minime dissentiens retineretur, à me provisum est. Verissimum quippe est efrænem illam, quam alibi exagitavimus, interpretum licentiam, quæ maximam bonorum Auctorum partem pervagata est, se se exeruisse in aliis, in unum Origenem totam incubuisse.

Quicquid porro Græcarum ipsius scriptionum corradere potuimus, in tres à nobis ita distributum fuit partes, ut argumentorum ac rerum diversitate penitus disjunctæ essent inter se, nec altera alterius opem postularet. Adeo ut qui partem unam suos in usus compararit, opus aliquod perfectum sibi habeat, reliquis facile carere possit. Neque tamen ita à se invicem secreta sunt, vt non una ad alteram Lectorem invitet & alliciat. Prior pars Origenianos continet in sacram Scripturam commentarios, sive Homiliae sint, sive Tomi (nam de Scholiis nihil pervenit ad me, neque vero quicquam superesse puto) atque ea uno *Ἐξηγητικῶν* nomine comprehendimus. Altera pars alia ejusdem Auctoris exhibet scripta, quibus peculiare argumentum, & certa materies, quæcunque tandem illa sit, subjecta est. Hæc *συνέγραμματα* placuit appellare. Ad hæc cum libri non pauci Origenis præ se ferrent nomen, & ambitioso sese titulo venditarent, quæ tamen alterius essent, sive certi Auctoris, sive incerti; quæque si ab Origenis familia repulsiemus semel, ea sine late ac tecto vagari, & tandem interire necesse esset; hæc quoque tamquam vernilem aut adulterinam sobolem admisimus, & in tertiam Partem à nobis collata communi *ῥηθωρικῶν* appellatione continentur.

Præfatio sua Parti unicuique præfigitur, rerum omnium ad eam Partem pertinentium causas rationesque expromens. Atque hic de priore hacce, singulisque ejus membris differimus. Agamus primum de titulo. Existimare possit quispiam vocem illam *Ἐξηγητικῶν* Tomis solummodo, non etiam Homiliis convenire. Nam qui Tomos continent Codices, *Ἐξηγητικῶν* solent inscribi; qui vero Homiliis constant, non item. Nec hunc tamen titulum inconsulto prænotavimus: ex hac quippe inscriptione capituli decimi Philocaliæ: *ἐκ τῆς ἑμιλίας τῆς εἰς τὸν ἱερμίδου Ἐξηγητικῶν*, Homiliae itidem vt Tomos communi *Ἐξηγητικῶν* nomine comprehendiliquet. Id confirmat Allatianus Catalogus Græcorum Origenis Codicum qui in Vaticana Bibliotheca reperiuntur, ubi Homiliae 19 in Ieremiam ita designantur: *εἰς τὸν παρθένου ἱερμίου ἑμιλίας Ἐξηγητικῶν*. Profecto nihil aliud quam rei alicujus explicatio hæc *Ἐξηγητικῶν* appellatione significatur. Id cum ad Homiliae peræque & ad Tomos pertineat, utrisque merito ea vox adscribitur. Iam de singulis Partis ejusdem primæ membris quæstio habenda est.

Tripartitum præmissi Opus, quo Adamantij explicatur vita, doctrina ventilatur, scriptiones recensentur. Ex Origenis quippe lectione majus emolumentum capturos Lectores duxi, si accuratiore Origenianarum rerum notitia prius informarentur, quam eius terendis lucubrationibus desudarent. Prolixum est illud quidem, sed pro copia & ubertate rerum etiam breve.

Sequuntur ipsa *Ἐξηγητικῶν*, quorum membra singula unde sint à nobis deprompta diligenter hic indicabimus, vt ad ipsa exemplaria possint recurrere, quicumque certiora inde documenta capere volent, atque ita nulli non constet nostra fides, & quæ sit apographorum cum autographis consensus universis exploratum esse queat. Hæc quæ damus in Genesim, fragmentis tribus concluduntur. Prius è libro Eusebij septimo De præparatione Evangelica excerptum est; alterum libro Operis ejusdem sexto debemus; cuius fragmenti partem quoque non exiguam caput vigesimum secundum Philocaliæ repræsentat. Atque hanc quidem dissertationem, qua impugna-

P R Æ F A T I O.

tur Astrologia, in manu scriptis codicibus antiquis seorsum reperire est, hoc inscrip-
tam titulo, *αει εὐσεβίου*. Tertium una nobis Philocalia capite decimo quarto sup-
peditavit. Francisci Vigeri, qui totum hoc Eusebij opus, aliaque Latine convertit,
interpretationem prioribus duobus fragmentis adjunximus. Ad oram autem fra-
gmenti secundi Variantes Lectiones, Philocaliam inter, & geminam librorum Eusebij
De preparatione Evangelica à Rob. Stephano, & Fr. Vigero concinnatam editionem,
à nobis deprehensas attexuimus. Tertium fragmentum, ut & sequentia in Exodum,
Leviticum, & Iosuum, è Philocaliæ capitibus 26. 1. & 12. derivata, & quæcunque de-
mum è Philocalia deprompta sunt, Tariniana interpretatione donavimus. Si quam
autem lectionum diversitatem vel Genebrardi expositio, vel critica Johannis Tarini
in Philocaliam Notæ, vel vetusti Philocaliæ Codices, vel propria nobis Minerva
suggerit, limbo inferi curavimus. Porro è Tomis Origenis translata sunt fragmenta
illa in Genesim & Exodum; ex Homiliis sequentia in Leviticum & Iosuum. Minime
vero in Origeniana secunda, quæ in Leviticum Latine edita extat, Homilia brevem il-
lam quam damus in ipsum hunc librum particulam ex Homilia altera secunda de-
promptam reperias; in eundem quippe Scripturæ locum plures aliquando Homilias
Origenes habuit. Excerptum autem illud è vigesima in Iosuum Homilia, Latina nobis
offert Origenis editio hoc ipso ordine & numero, quem Philocalia designat. Rufini
quidem interpretationem huic Excerpto adhibere, & propter Auctoris antiquitatem
Tarinianæ præferre constitueram; sed tam fluxa fide, tamque immoderata licentia
administratam comperi, ut omnino rejiciendam decreverim.

His subnexa est Homilia in caput 28 lib. Regum prioris, ubi de Engastrimytho,
& anima Samuelis multis disseritur. Leoni Allatio ipsam, ipsiusque interpretationem
acceptam referimus; à quo cum Pseudo-Eustathij commentario in Hexæmeron
edita est, è Vaticana forsitan Bibliothecæ manu scripto exemplari descripta, in quo
jacere illam accepimus.

Octo deinde in Psalmos segmenta proferimus. Prius nobis præbuit Epiphanius
Har. 64. cap. 6. & 7. cujus partem etiam aliquam secundum habet Philocaliæ caput.
Adnexa est Dionysij Petavij Latina interpretatio. Secundum duobus membris con-
stans, atque item tertium dederunt capita Philocaliæ secundum & tertium, apposita
Tarini expositione. *Niceph. lib. 5. cap. 6.* Quartum habuimus ex Eusebianæ Historiæ libro sexto, capite
25. quod ipsum in opus suum, ut reliqua fere omnia, transtulit Nicephorus. Vbi su-
mus Henrici Valefij interpretatione. Quintum sufficit idem Epiphaniij liber, qui
primum suffecerat; interpretationem idem Petavij. Hæ autem partes quatuor, è
Commentariis in Psalmum primum, ac, nisi me mea fallit conjectura, ex uno eo-
demque Tomo detractæ sunt: cujus, ac reliquorum item qui ab Origene in Psal-
mos scripti sunt, prius illud quod damus fragmentum, quædam veluti Præfatio fuit.
Sextum & septimum, è Commentariis in Psalmum quartum, & in quadragesimum des-
cripta, caput Philocaliæ vigesimum quintum, ac primum contribuerunt; conversio-
nem Latinam Tarinus. Postremum denique Eusebij contulit Historia libro 6. cap. 38.
ex Homilia in Psalmum 82 postrema; interpretationem idem qui supra Valefius.

Superiora excipit segmentum duplex in Canticum Canticorum. Præbuit utrum-
que Philocalia, capitibus 7, & 26. Tarinus interpretationem dedit. Prius è parvo To-
mo in Canticum, quem juvenis lucubraverat Origenes, translatum est; posterius è se-
cundo Tomo Commentariorum in eundem librum. Id tituli in Philocalia utriusque
fragmento præfixi demonstrant.

Prodeunt deinde suo ordine Homiliæ in Ieremiam 19. quas ex majori in eum-
dem Prophetam Homiliarum numero detractas, Scorialenses membranæ servarunt;
verum Auctori abjudicatas suo, & falso Cyrilli nomine inscriptas. Hinc in fraudem
illectus Balthazar Corderius Codicis errori adhæsit; hasque Homilias inde exscribens,
& Latinitate à se donatas prælo subijciens Cyrillo assignavit. Nos legitimo Auctori

P R Æ F A T I O.

suum restituimus sc̄tum, & certis agnitum indicii vindicamus. In ipso uniuscujusque Homilia, quam ab Hieronymo conversam haberemus, titulo adscripsimus eque inter Hieronymianas teneret locum; & Hieronymi interpretationem in multis licet à Græcis recedentem conjunximus, cum propter auctoritatem viri & antiquitatem, tum vt ex eius comparatione cum Græcis, Lectionum varietas attendenti facilius appareat, & quantum ab Hieronymi temporibus Græca variaverint exemplaria unusquisque intelligat. Id quidem aliqua ex parte in Observationibus nostris notavimus, reliqua Lectorem diligentia permittentes. Ipsam vero Hieronymi editam interpretationem cum duplici Regiæ Bibliothecæ codice manu scripto accurate collatam partim pluribus emendavimus locis, partim discrepantes Lectiones ad oram descripsimus, & si quando uterque simul consentiret Codex, hac nota, MSS. R. sin unicus discreparet liber, ista, MS. R. significavimus. In quibus porro Hieronymi defecit expositio, Corderianam ascrivimus. Septem eas præterea, quas è Vaticano profectas Ghislerius edidit, confliximus itidem cum Corderianis, Lectiones Variantes in librum conjecimus, discrepantiam omnem, sive quæ ex diversitate Codicum, sive quæ è typographi profluxisset errore, uni Vaticano exemplari tribuentes, quod ea distinguere promptum non esset. Homiliis illis novemdecim fragmentum subjecimus ex Homilia 39 in eumdem Prophetam, quod decimum nobis Philocaliæ caput suppeditavit. Adiecta est Tarini interpretatio.

Subest postmodum particula quædam vigesimi Tomi Commentariorum Origenis in Ezechielem, quam cum fragmento alio ex ejusdem Commentariis in Oseam, undecimum ejusdem Philocaliæ caput, & octavum subministrarunt. Nos Tarinianam utriusque conversionem adjunximus.

Atque ex tam multis Origenis in Vetus Testamentum lucubrationibus, paucula hæc omnino superflites sunt: cum reliquarum eo gravius ferenda jactura sit, quod in evolvendis præcipue præfici Fœderis mysteriis laudata sit ipsius industria. Vberior in Novum Instrumentum Commentariorum copia ab interitu & blattarum injuria vindicata est, quorum seriem ordine detexemus.

In ipso aditu Expositionum Origenis in Novum Testamentum præfiximus decerptam è Tomo priore Commentariorum in Matthæum particulam, quam retulit Eusebius in libri sexti Historia Ecclesiastica capite vigesimo quinto; eique Henrici Valesij interpretationem adtexuimus. Sequitur deinde petitum è Tomo secundo in Matthæum fragmentum, Tarini expositione conjunctum, quod exhibuit nobis Philocaliæ caput sextum. His subjecimus plenos in idem Evangelium Commentariorum Tomos septem, à Matthæi capite 13. vers. 36. ad cap. 22. vers. 33. cum Latina nostra interpretatione. Hos debemus antiquo huic Codici, quem in Regiæ Christianæ Bibliotheca quondam nactos esse nos dictum est initio Præfationis hujus. Qui Codex unde profectus, quo redierit, deque Codice Regio, & nostra conversione, aliisque eo spectantibus, quando quidem nonnulla admonendus est Lector, pauca de iis disseremus.

Holmensem hunc Codicem satis antiquum, chartaceum, literis rotundis exaratum in Sueciam intulit V. Cl. Isaacus Vossius, eruditione & ingenio florentissimus. Quem cum percontatus essem aliquando per literas, unde librum habuisset, & quid eo factum esset, respondit se illum Hagæ Comitum ante annos plus minus viginti comparasse à Serenissimæ Bohemorum Regiæ Elizabethæ medico, dicto Runio, qui illum è Germania detulerat, vili pretio coemptum à militibus, post Vormaciensis Bibliothecæ direptionem: perlatum eum deinde à se in Sueciam; atque à Regina post abdicatum imperium Antuerpiam cum reliqua Bibliotheca relatum; ab eaque cum aliis Codicibus à se repetitum, facile fuisse impetratum: cujus usuram ab annis aliquot concessa Herberto Thorndicio Anglo, qui omnium Origenis operum editionem meditari se profitebatur, in ipsius eum potestate mansisse. Hunc librum, vt dixi, postquam nactus sum in Suecia, quoniam temporis urgebant angustia, summa fe-

PRÆFATIO.

stinatione descripsi, nec apographum cum archetypo contendere lieuit. Quod itaque nimium in huiusmodi labore properantibus uluvenire solet, id mihi contigit, ut mendis aliquot apographum meum inquinarem. Hoc ergo damnum properantia illatum, diligentia refarcire satagens, Bibliothecam Regiam adij, statim atque Lutetiam reversus sum, & librum meum cum antiquo contuli, quo iisdem Tomi, sed ingentibus lacunis & mendis deformati continebantur. Ex ea contentione plurimi hiatus expleti, multi emendati sunt errores, ampla Variantium Lectionum seges effloruit, quas vel in limbum, vel in Notas nostras retulimus. Quotiescumque igitur vel ad oram, vel in Notis sigla hæc, C. R. vel, C. H. reperies, Codicem Regium his significari intelligito, vel Codicem Holmensem, qualiter ab apographo nostro repræsentatur: adeo ut si quem forte errorem Holmiensi Codici inesse dicamus, id ita accipi velim, errorem hunc apographo nostro inesse, sive ab archetypo Holmiensi, sive à nobis nimis in describendo properantibus ortus sit. Quamvis autem in multis discrepent à se ambo hi Codices, & Holmiensis longe sit emendatior Regio, in tam multis tamen consentiant, ut ex uno fonte profectum esse utrumque facili existimatio sit. Idem judicare licet de Codice Ladenburgensi quo usus est Erasmus, quem iisdem laborasse vitiiis, quibus laborat noster, ex Erasmi interpretatione conjecturam facimus. De reliquis, qui non pauci in Bibliothecarum forulis delitescunt, quoniam vix ulla ad me pervenit illorum cognitio, quid dicam vix quicquam habeo. Id scio tantum, in Catalogo librorum Ducis Bavarie memorari Origenis in Matthæum Tomum undecimum, initio mutilum (qualis extat in Regio) duodecimum, 13. 14. 15, & 16. Vaticanum Tomos complecti decimum, 11. 12. & 13. Narrant Auctores Epitomes Bibliothecæ Gesnerianæ servari in quadam Italiae Bibliotheca decimum Tomum Commentariorum Origenis in Evangelium Matthæi; & Venetiis apud Diegum Hurtadum eorundem Commentariorum Tomum I (lego X.) XI. XII. Scio id quoque, scripsisse Possavinum in Indicibus Bibliothecarum, quos ad calcem Apparatus sui subjecit, asservatam fuisse Venetiis in Bibliotheca Bessarionis Origenis Expositionem in Matthæum, & Iohannem. Redeamus vero ad nostros Codices. Exhibuit nobis Holmiensis Lemmata illa quæ singulis sectionibus præfixa sunt, cum à Regio abessent. Ea illuc studiosi alicujus intrusit diligentia. Titulos autem ab Origene ipso quotis quibusque Tomis fuisse inscriptos ex eo ad credendum ducimur, quod in omnibus libris æque compareant; multo vero magis quod Commentarios suos per Tomos ipse descriperit, ut ex ejus in Iohannem Exegeticis perspicuum est. Vnde deprehenditur eorum vanitas, qui veterem Commentarii hujus in Matthæum interpretationem in Tractatus 35 distinxerunt: quod an ab ipso veteri Interprete, an ab aliis attentatum sit, equidem nescio.

Latina autem Commentariorum illorum interpretatio, quæ Latinis Erasmi & Genebrardi editionibus inserta est, duos omnino Auctores habet, Erasmus ipsum, & anonymum Interpretem, de cujus ætate libro tertio Origenianorum disputamus. Priorem partem à Matth. cap. 13. v. 36. ad c. 16. v. 20, Erasmus elaboravit ad Græcum codicem Bibliothecæ Ladenburgensis, sibi suppeditatum à quodam Guolphango ab Affenstein, Vormaciensis Episcopi in externæ ditionis negotiis vices gerentem; uti scribit ipse in Præfatione ad Nicolaum à Diesbach Ecclesiæ Basileensis Decanum. Fidelem sane & accuratam nobis conversionem dedit Erasmus, optimus interpres. Verum ad mediam tantum pertingit Tomi duodecimi partem; reliqua è vetusta & incerti Auctoris interpretatione petita sunt. Hæc pertinet à Matth. cap. 16. v. 13. ad cap. 27. v. 66. atque in editione Jacobi Merlini anni 1512 primum prodit, verum adjecta Erasmi interpretatio anteriorem vetustæ illius partem in sequentibus editionibus loco suo dejecit. Ac in antiqua illa quod laudem, nihil sane est præter vetustatem; nam à Græcis usque adeo dissentit, ut multa superent, plura deficiant, nec tam Origeniani Commentarii interpretationem, quam alterum Commentarium esse putes.

Quod si parem Erasmi fidem illic deprehendissem ac elegantiam, libenter

P R Æ F A T I O.

enimvero elucubrandæ alterius labore superledissem. Verum ne nomine negligentia suspectus essem jure veritus sum, indecoram ac dissimilem imaginem formoso & splendido archetypo conjungens, cum ipse puriorem fortasse, certe fidiorem à me dare possem. Quos ergo Commentarios Latinis verbis exponere noluerat Hieronymus propter laboris difficultatem, triginta sex enim constabant Tomis, septem ex illis convertere aggressus sum; non tam quidem dictionis elegantia, ac phaleratis studens sermonibus, quam ut intellectas recte sententias, munda quidem, at simplici oratione referrem, verbumque de verbo, quatenus id Latinae linguæ ferebat ratio, redderem, Origenemque ipsum, si possem, Latine loquentem repræsentarem. Quod interpretandi genus cum subverer ne multorum reprehensionibus esset obnoxium, scripta ad id Dissertatione publice approbare conatus sum; & vero, nisi me multorum fallunt testimonia, perfecti. Verumtamen ut contraria omnium suffragia fuisset expertus, satis me tueretur Hieronymus, qui eandem interpretandis Adamantii in Ezechielem Homiliis rationem adhibuit; *magnopere, inquit, curans, ut idioma, su-* Hieron. in
Prolog.
Comm. Ori-
gen. in
Ezech.
prædicti viri (Origenis) ac simplicitatem sermonis, quæ sola Ecclesiis prodest, etiam translatio
conseruat, omni Rhetoricæ artis splendore contempto: res quippe volumus, non verba laudare.
Nulla itaque mihi religio fuit, vel cum Scripturæ exponerem loca, vel cum de rebus mere Theologicis dissererem, voces usurpare, à puræ quidem & prisca Latinitatis usu remotas, necessarias tamen, & Vulgaræ Bibliorum editionis, Patrum Latinorum, & recentiorum omnium Theologorum usu quodammodo consecratas.

Sequuntur Commentariorum in Iohannem Tomi novem, quos idem suppedi-
tavit Bibliotheca Regiæ Codex, qui supra memoratos in Matthæum continet. Nec
hi quidem novem una erant ac continua serie simul connexi, sed disjuncti ac dissi-
pati. E duobus quippe & triginta Tomis, quos in Iohannem fuisse ab Origene elab-
oratos scripsit Hieronymus in Prologo explanationis suæ Commentariorum Ori-
genis in Lucam, primum duntaxat, secundum, sextum, decimum, decimum ter-
tium, decimum nonum, vigesimum, vigesimum octavum, & trigesimum secundum
exhibet. Præter Regium hunc Codicem, jam laudatus Bibliotheca Bavarica Catalo-
gus librum commemorat Tomos Origenis in Iohannem 1. 2. 6. 13. 19. 20. & 32. com-
plexum. Fuisse quoque in Bessarionis Bibliotheca Origenis expositionem in Iohan-
nem refert Posssevinus. Sed & Operis hujus Codicem habuit Bibliotheca Veneta fan-
cti Marci, unde interpretationem suam excudit Ambrosius Ferrarius Mediolanen-
sis, monachus Cassinas, qua de mox acturi sumus. Is autem Codex, uti verisimile est,
Diegi Hurtadi fuit, eumque ipse ex Græcia nactus erat. Id inde nobis persuadetur,
quod in Tomo 32 distributus erat iste Hurtadi liber, itidem ut alter ille Ferrarij. Scri-
bunt autem Iosias Simlerus, & Conradus Frisius, in Epitome Bibliothecæ Gesneri-
anæ, accepisse se cum plerisque Origenis Operibus in Creta repertos esse hosce Com-
mentarios à Sebastiano Venereo hujus insulæ, Venetorum nomine, Duce. Hos Co-
dices, Venetum, & Regium, ex uno eodemque venisse exemplari intelligitur ex con-
suetu Ferrarianæ interpretationis, quæ ex Veneto derivata est, cum Græca hac editio-
ne ad exemplar Regium expressa; adeo accurate lacunæ lacunis respondent, licet in
aliquibus auctiorem & perfectiorem fuisse Ferrarij Codicem fatendum sit. Hoc præ-
cipue discrepabat uterque liber, quod Regius veram ac genuinam novem Tomo-
rum servaret distinctionem, cum Venetus in triginta duos unius ac continuæ seriei
Tomos sectus esset, à *Græculo quodam incerti nominis, ait Sixtus Senensis, novo imposturæ*
genere, ut opus numerorum multitudine auctum, & arithmeticæ supputationis ordine continuatum
optabilius redderet, ac majori pretio venderet. Unde delusus Ferrarius eandem retinuit li-
bri partitionem, & è triginta novem Tomis quos in Iohannem scripsisse Origenem
putabat, septem solum postremos desiderari, & exiguis aliquot duntaxat lacunis
abruptam esse operis seriem censuit. Quamquam fraudem subinde odoratus est vir

Hieron. in
Prolog.
Comm. Ori-
gen. in
Ezech.

Posssevin. in
calce App.

In Origene.

P R Æ F A T I O.

ille eruditus, nam in priore interpretationis suæ editione, initio Tomi 19, ad oram, suspicari se scribit hos Tomos, ne numerus interPELLARETUR, ita fuisse dissecos. Nec commentitiam tamen illam partitionem è Ferrarij interpretatione expunximus, eorum parentes labori, qui locos ex hac conversione alicubi depromtos requirent. Porro cum operam dedissem vt in Venetorum Bibliotheca perquireretur ille Codex, & ad eum quædam nostri hujus vel dubia vel mendosa loca expenderentur, nusquam fuisse repertum, nec quid eo factum esset sciri potuisse ad me perlatum est. Nos igitur hoc destituti subsidio, ab unico Regiæ Bibliothecæ exemplari, proprioque ingenio petenda omnia intelleximus. Quod itaque ab iis, qui se Criticos dici amant, fieri optandum est, vt cum priscorum Codicum deficiunt auxilia, conjecturis suis nisi certissima fide nitantur parum vel nihil tribuant, & antiquorum reliquias caute, & vt ita dicam religiose pertractent; id ipsi, cum hic, tum in reliquo opere præstitimus; nam locis quibusdam, manifesto licet vitiosis pepercimus, satis hoc esse rati, conjectanea nostra in Notis proposuisse. Quod si quid nonnumquam mutatum à me est, id tunc attentavi solum, cum vel apertissima sententia, vel liquidissima ratio, vel constantissimus usus nullum dubitationi locum relinqueret. Præclare vero mecum actum fuisset, si iussu Cleri Gallicani descripta ante annos aliquot ex Italia Bibliothecis Commentaria illa in Mattheum, & in Iohannem, & deinde Iohannis Tarini Professoris Parisiensis, qui ea se itidem vt Philocaliam in lucem emittenda receperat, fidei commissa, nobiscum ipse communicare voluisset. Verum omne licet eorum edendi consilium vel abjecisset jamdiu, vel propter ingravescentis senectutis veterum abijcere debuisset, & quam gestare amplius non poterat lampadem aliis tradere stadium idem decurrere paratis, vel lumen certe de suo lumine accendere, vt Enniano more loquar, nihilominus ipsi vt luceret, cum ille accendisset; id tamen extinguere maluit, nosque in tenebris, quantum in se fuit, relinquere; ne utique ad se pertinere ducens illud Christi: *Va vobis Legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introiistis, & eos qui introibant prohibuistis.*

E gemino illo Codice Regio & Veneto, gemina prodiit interpretatio. Priorem concinnavit is quem dixi Ferrarius, & edidit anno 1551. posteriorem Ioachimus Perionius, Benedictinus itidem monachus, triennio post, vel circiter. Quem puto non in se recepisset laborem, si non actum modo se agere, sed bene actum pessime se agere intellexisset. At nondum pervenerat ad eum Ferrariana interpretatio; proptereaque in Explanationis suæ Præfatione primum se laboris hujus inceptorem profretur. Persuasit id Sixto Senensi, qui idiplum retulit; Sixtus etiam viro erudito, qui falso idem nuper iteravit. Vtram vero vtri præferrem, & Græcis adjungerem, non multum dubitavi: præterquam enim quod lucubrata ad Venetum Codicem Ferrarij conversio corruptos plerosque Regii libri locos sanare potest, accedit insignis & vix credibilis alterius vitiositas. Equidem Ioachimum Perionium tot annorum exercitatione ac studio in Græcis Latine reddendis subactum, tot Græcorum operum expositione celebrem, hoc sibi nomen exquisito aliquo interpretandi genere, cujus etiam præcepta scriptione quadam tradidit, peperisse credideram. Verum vt ad accuratum interpretationis hujus examen accessi, mirum dictu est, quantam in hoc homine Linguae Græcæ ignorationem, quam exiguam in investigandis sententiis diligentiam, quam obtusum acumen, quam parum in explicandis rebus obscuris accurationis ac subtilitatis, quam levem ubique & sublestem fidem deprehenderim. Valet ille quidem stilo, cui uni studer; & postquam in redigendis in quadrum sententiis, & dictionis munditie operam collocavit suam, tum vero omnibus sese absolutum numeris Interpretem arbitratur. Castigator multo Ferrarij Interpretatio, & in oratione horrida, neque satis pura nitidior & melior. Græcis propius insistit, suamque fidem satis præstat. Hanc itaque repudiata Perioniana retinendam duximus.

PRÆFATIO.

mus. Suis tamen laborat quoque vitiis expositio Ferrarij, quorum partem aliquant Observationes nostræ eluunt, partem Lectoribus peruestigandam relinquimus. Ad hæc in eo Ferrarij vel candor, vel intelligentia rerum valde videntur requirenda, quod solenni obtestatione in fine operis sui denuntiaverit, se *in hoc libro vertendo summa cum fide ac diligentia, ut nihil profusum sit immutatum ab eo quod scribit Auctor.* Deinde addit: *Scito præterea me nihil invenisse in hoc libro quod videretur decretis sanctæ matris Ecclesiæ adversari; nam si invenissem, aut librum non vertissem, aut locum signassem suspectum.* Profecto, si quid conjectura valeo, consulto aliqua perversæ doctrinæ labe respersa detraxisse videtur Ferrarius; nec pauciora superesse passus est, quæ ab Ecclesiæ decretis non exiguo recederent intervallo. Hæc suis notavimus locis; & posteriora quidem passim: priora vero Tomo secundo ad pag. 49. & 56. 57. 58. & Tomo 13. ad pag. 218. vbi, quemadmodum & alibi, Ferrarianæ interpretationis hiatus Perionianæ segmentis explevimus, in quibus paucula quædam vel à Græcis, si forte, dissona, vel cum superioribus male coherentia nonnumquam duximus emendanda. Si quæ vero redundant in eadem Ferrarij conversione, quæ in Græco nostro exemplari deficiant, ea vncinis inclusimus, quod & in reliquis etiam interpretationibus aliquando à nobis factum est. Non exiguam porro Variarum Lectionum messem, quæ ex interpretationum contentione à nobis collecta est, in marginem coniecimus, quæ Notarum loco, ut aliæ deessent, esse possent.

Ad calcem secundi Tomi Commentariorum in Iohannem insertum reperies fragmentum è quarto Tomo, cum Tarini expositione. Hoc nobis caput Philocaliæ quartum præbuit. Præbuit & aliud è Tomo quinto sequens Philocaliæ caput, ejusdem Tarini interpretationi adtextum; cui particulam inferimus è libro 6 Eusebianæ Historiæ, capite 25 traductam, & à Valesio Latine conversam.

Commentarios in Iohannem exiguum sequitur segmentum è quarta Origenis Homilia in Acta Apostolorum, quod nobis dedit caput Philocaliæ septimum. Huic Tariniana conjuncta est interpretatio.

Prodeunt deinde suo ordine fragmenta duo è Tomo primo ac nono Origenianorum Commentariorum in Epistolam ad Romanos, à Tarino exposita. Vtrumque Philocalia contribuit; prius è vigesimo quarto, posterius è nono capite. Quod si hic quoque Rufini interpretationem non esse adhibitam quis causetur; meminerit ille, quod jam monui, & nequam interpretem esse Rufinum, & librum hunc à se ad media fuisse, ut ipse ait in Prologo, spatia coarctatum. Facile id intelliget, quisquis Græca hæc Philocaliæ fragmenta cum Rufinianis quisquiliis commiserit.

Illam demum Commentariorum molem claudit excerpta ex Homiliis in Epistolam ad Ebræos tenuis quadam portio. Hæc Historiæ Eusebij Ecclesiasticæ libro sexto, capiti vigesimo; Latina vero interpretatio Henrico Valesio debetur.

Quemadmodum vnicuique Parti Præfationem suam præfigimus, ita singulis suas adjicimus Observationes & Notas, in quibus tria potissimum persecuti sumus; primum ut Criticis, quas vocant, Notis Variantes Codicum Lectiones signarentur, corrupti emendarentur loci, conjecturæ nostræ proponerentur; deinde ut quæ ab Origene accepta in Commentarios suos alij retulerunt Patres, vel si quæ ab aliis accepit ipse, aut accepisse visus est, ea indicarentur, quod strictim à nobis operæ ac temporis parentibus & leviter factum est; laudatis nonnumquam solis Patrum nominibus, eorum scilicet quorum extant Commentarij in ipsum hunc Scripturæ librum, quem tum nobis propositus Origenis liber interpretaretur; integris quandoque adductis locis, quorum esset consimilis sententia, id quod *ἡ ἀποστολικὴ* Græci Iurisconsulti appellarunt. Tertia fuit cura, obscura si possem illustrare, falsa & à Catholica doctrina abhorrentia dogmata indicare, Interpretum errores castigare, & quidquid denique Lectorem vel juvare vel delectare possent, in medium proferre. In quo sane neu-

P R Æ F A T I O.

tiquam illud studui, quæcunque vel Origenes, vel Origenis peccarunt Interpretes adnotare, sed graviora tantum, & erroris vel manifesta, vel valde suspecta.

Mirum porro cuiquam fortasse videbitur, quid sit cur cum Græca Origenis fragmenta studiose vndecunque collegerim, inter Origenianas tamen scriptiones ea non admiserim quæ Catenæ subministrant. Nam cum in multis Bibliothecis frequentes illæ sint, infinitos Origenis locos suppeditare poterant. Ac animus certe mihi aliquando fuerat hunc quoque exantlare laborem, excerptosque passim ex Catenis Adamantij locos una & continua serie juxta Sacrorum Librorum ordinem connectere, & Origenianam quamdam Catenam eudere. Iamque manum labori admoveram, & excussis omnibus Bibliothecæ Regiæ & Mazarinianæ in Nouum Testamentum Catenis singulos Origenis decerpseram flosculos, & rudem corollæ cuiusdam contextum informaveram. Verum bono susceptum laborem consilio, meliore etiam abjeci. Causæ abijcendi fuerunt illæ. Laboris primum immensitas. Certum quippe est Catenis ejusmodi refertas esse Bibliothecas omnes, quotquot aliquam veterum Codicum copiam sibi compararunt. Hinc si quis, quidquid Origenianum est, colligere speret, perinde est ut si mare exhaurire, vel cælum humeris sustinere velit. Partem autem aliquam Catenarum, reliquis intactis, ut expilarem, opusque imperfectum relinquerem, à me impetrare non potui, satiusque futurum censui incepto abstinere penitus, quam non ad debitum finem perducere. At hac etiam gravior altera causa fuit, levis & fluxa Catenarum fides, quam opinione majorem deprehendi. Si quis enim Symbolas ejusmodi nonnisi ab eruditis & gravibus viris in unum compositas arbitretur, sua eum valde sefellerit opinio. Triplici autem fere modo Lectorum fidei solent imponere ejusmodi centonum confarcinatores; vel Auctorum permutandis nominibus; vel ex variis Auctoribus vno eodemque decerpendo & conflando loco; vel testimoniis interpolandis, contrahendis, diffundendis; non *ἀπολιξάν* ut par erat, referendis. Singula exemplis comprobare promptum esset. Inde adeo Michaël Ghislerius & Petrus Possinus talium Catenarum editores, caute ipsis & circumspicte utendum esse, parumque inesse auctoritatis Præfationibus suis declararunt. His potissimum de causis Catenarum usum neglexeram, easque porro studiosi ut respuerent valde optabam; cum ecce vir de Ecclesia & re literaria optime meritus P. Franciscus Combefis, ex Ordine Prædicatorum, intermissum à me laborem in se recipit, & Origenianorum locorum Catenam, partim ex iis quæ jam ante collegeram, partim ex variis Codicibus cum editis, tum calamo exaratis ipse compilat, & compilatam benigne ad me transmittit. Quod opus etsi non alio numero habendum esse cenleo, quam quo supposititia vel dubia haberi solent, ob eas rationes quas dixi, proptereaque ex legitimarum Adamantij scriptionum censu merito excluditur; eo tamen interim utiliter & iucunde fruimur, nec id sine iniuria publico invideri posse indicamus.

Editio istæ, quæ absente me fere accurata est, quamquam typographicis aliquot deformata est sphalmatis, emendatior tamen prodit, quam vel ego expectassem. Hanc autem *εἰς*, siue orationis distinctionem retinui, quam manu exarati Codices representant, quamque observavit Aldus Manutius, & quam in Præfatione sua ad Eusebium doctissimus Valesius aliis persequendam ex Antiquorum auctoritate & usu proposuit; ipse non accurate observasse se confessus est. Hæc est autem ejusmodi. Triplici punctorum situ orationis distinctio omnis absolvitur, collocato puncto vel ad summum literæ, vel ad medium, vel ad imum. Positura prior, quæ est ad summum literæ, sententiam perfecte claudit, ut nihil præterea ad ejus absolutionem Lectoris animus requirat. Alter situs, ad medium literæ, sententiam quidem claudit, sed non perfecte; ut ad explendum Lectoris animum, & absolvendam penitus sententiam aliquid præterea desideretur, & ejusdem fere sententiæ com-

mata

PRÆFATIO.

mata dividit. Infima vero positura morulam interponit quamdam, dum Lector spiritum ducat, & diversas ejusdem sententiæ partes una connexionem aptas inter se & conclusas distinguit. Prioris generis punctum, *πείρα σημή* appellatur ab antiquis Grammaticis; secundi, *μέση*; tertij, *ὑποσημή*. Atque id inventum, ad orationis nitorem excogitatum, Aristophani Grammatico acceptum refertur. Quod cum ipse hoc tempore reperisset, quo literis quadratis & majusculis vulgo scribatur, aptissimus fuit & utilissimus *σημείον* illarum usus, quod literarum amplitudo intercapedinem observatu perfacilem tres inter punctorum sedes constitueret. Degenerantibus vero in rotundiores & minores, ideoque punctorum distinguendæ posituræ minus opportunam formam characteribus, inolitus tamen apud librarios usus invaluit. At virgula, quæ *ὑποσημείον*, & quandoque etiam *μέση* locum tenet, quamque perpaucae ac pene nulli antiquiores Codices exhibent, in recentioribus reperitur quibusdam, unde ad hanc ætatem manavit. Geminum autem punctum, quod fere *μέση* hodie representat, in antiquissimis Codicibus nonnullis observavi gravissimæ omnium, & perfectissimæ distinctionis munere defungi, & librum, vel libri partem à sequenti penitus disjunctam, vel caput finire. Geminum illo puncto usum se in Psalterij secundum Septuaginta Senes interpretatione testatur Hieronymus, non ad distinguendas orationis partes, sed ad verba aliqua cum obelis & asteriscis intercludenda. Ego antiquum hunc geminati puncti usum respui, quod rarus sit & fere ignotus, nec à priscis Grammaticis commemoratus. Tres punctorum, quas dixi, posituras retinendas duxi, nec à virgulæ tamen usu abstinui, ne ab hujus ætatis consuetudine penitus viderer abhorreere. Certe in editione Chrysostomi virgula usus est Savilius, verustatæ licet distinctionis notas, sed perverso situ, & positione retinuerit; nam *σημείον* pro duobus punctis, *ὑποσημείον* pro puncto usurpavit; *μέση* neglexit.

Porro cum Græca solum hic demus, quæ in manus pervenerunt nostras, eaque perpauca numero sint præ Latinis interpretationibus, quas exhibet nobis editio Genebrardi, & quarum exemplaria Græca interciderunt, quæsitum est à me aliquando, cur ea quoque nequiquam hac editione complexus sim, ut quidquid Origenianum reperiri potest, siue Græcis descriptum literis, siue Latinis expositum, uno hoc eodemque opere contineretur. Hunc profecto laborem ut susceperem multi mihi auctores fuerunt. Verum Latina Origenis opera, tot jam prælis recusa, tot editionibus publicata & in vulgus sparsa, typis iterum committere, nulla Latinarum Origenis seriptionum accessione aucta, nullis emendationibus vel illustrationibus splendidiora, quid aliud tandem esse dicas, quam ex alienis laboribus captate laudem, & actam rem agere, quod exigui est ac pusilli animi? Nec difficilior sane aut carior comparatum erit noster Græcus Origenes, cum Latino Origene Genebrardi; quam magna illa voluminum fuisset moles, si in idem corpus Latina ista, atque hæc Græca fuissent conjuncta.

Cæterum quantulumcumque tandem illud sit, quod à me in hanc editionem collatum est, multorum tamen ad id egui præsidio: quod ut postulanti mihi illiberaliter denegarunt nonnulli, sic benigne alij & humaniter detulerunt. Quorum exemplo reliquos adhortor, ut vel suum nobis ad sequentium Tomorum absolutionem exhibeant favorem, vel ne id saltem quod damus nimia severitate & inclementia excipiant; & si quid à nobis peccatum animadverterint, humanam imbecillitatem, susceptæ provinciæ difficultates, juvenilemque nostram ætatem erroribus obnoxiam recordentur. Cum autem aliquam inter eruditos Operis hujus expectationem esse sciam, tantum abest ut hinc melius habitum illud iri, magisque probatum mihi spondeam, ut verear potius ne multum inde huic ex sperata laude decedat. Experientia quippe comprobatum est Tullianum illud, *Nihil esse iis qui placere volunt tam adversarium, quam expectationem*. Illud præterea fere est ætatis hujus ingenium, ut si

P R Æ F A T I O.

quis publico utilis esse velit, non tam quid præclare excogitatum dederit, quam quid hallucinatus sit, attendatur, promptiorque sit unusquisque & paratior ad castigandos errores & vitia, quam ad virtutes laudandas: *Id quod scis prodest nihil, id quod nescis obest,* aiebat Cicero. Hic est scilicet succus loliginis, hæc est mera ærugo. Verumtamen solatur nos illud Phædri:

Si livor obtrectare curam voluerit,

Non tamen eripiet laudis conscientiam.

Vt si minus æqua fuerit hæc ætas, benigniora certe posteritatis judicia sperare possim, atque hoc Propertianum usurpare:

At mihi quod viro detraxerit invida turba,

Post obitum duplici favore reddet honos.

Habeant iam itaque sacrarum literarum studiosi homines verum Origenem, mutilum quidem etiamnum, & magna sui parte truncatum, sed nobilissimis tamen reliquiis agnoscendum, unde adolescentioris Ecclesiæ sensus erui & spectari possint: si modo noxia quædam eximantur ac seponantur dogmata, quæ immodico ingenij luxuriantis æstu Origenes abreptus effudit.

Sed priusquam progrediamur ulterius, obtestationem homine Christiano maxime dignam præmittamus, totum illud quod à nobis in hoc Opere elaboratum est, vel à me quandocunque elaborabitur posthac, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ supremo arbitrio permittentes; retractare ac recantare pati, quidquid ipsa damnaverit; quidquid vero assensu comprobaverit suo, propugnare prompti ac tueri.

P E T R I